ORATIO ADVERSUS MEDICINÆ VITUPERATORES HABITA AB ILLUSTRISSIMO...

Marco Aurelio Cavedagni

ORATIO

ADVERSUS MEDICINÆ VITUPERATORES

HABITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO

MARCO AURELIO CAVEDAGNI

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE COLLEGII PARMENSIS,
ET ALMÆ UNIVERSITATIS PUBLICO PROFESSORE,
IN AULA REGIA MEDICO
CELEBERRIMI SCIENTIARUM BONONIENSIS INSTITUTI SOCIO,
ET ACADEMIÆ HOSPITALIS CUSTODE,

CUM

SOLEMNEM DOCTORATUS LAUREAM

Publice conferret Dom no

JOSEPHO CAMUTI PARMENSI

SUB AUSPICIIS

DD

SILVESTRI ANTONII PONTICELLI

COMITIS FARNETÆ ET GUSSIOLÆ EQUITIS
ET NOBILIS MUTINENSIS ET REGIENSIS PROFESSORIS
REGIÆ UNIVERSITATIS MONSPELLIENSIS COLLEGIO COOPTATI,
SOCII REGIÆ ACADEMIÆ SCIENTIARUM CORRESPONDENTIS,
BONONIENSIS SCIENTIARUM INSTITUTI ACADEMICI,
PRÆSIDIS ACADEMIÆ HOSPITALIS,
NOBILIBUS COLLEGIIS PARMENSI, ET PLACENTINO ADSCRIPTI,

MEDICI CUBICULARII REGIS CATHOLICI,

SERENISSIMORUM DUCUM PARMÆ, PLACENTIÆ ET VASTALLÆ,

AUGUSTISSIMI HISPANIARUM INFANTIS

D. D. PHILIPPI,

ET

AUGUSTISSIMÆ INFANTIS

D. D. ALOYSIÆ ELISABETH

CHRISTIANISSIMI GALLIARUM REGIS PRIMONATÆ,

NECNON

REGIÆ IPSORUM PROLIS

ARCHIATRI PROTOMEDICI GENERALIS TOTIUSQUE
REGIO-DUCALIS PROTOMEDICATUS PRÆSIDIS EC.

PARMÆ, MDCCLII. EX R. D. MONTIANA TYPOGRAPHIA.
Annuentibus Superioribus.

ORationem hanc, quam nobis Auctor eximius pro mutua inter nos consuetudine, ac benevolentia communicavit, mira cum voluptate perlegimus; Eamque acri ingenio elaboratam, elegantiæ notis distinctam, sententiarum gravitate illustratam, ad evellendam, quod maxime optabile est, ex hominum mentibus suæ ipsorum saluti incommodam opinionem posse utique satis perutilem reputari existimavimus. Typis idcirco, etiam salutis publicæ gratia, mandari nos ipsi suasimus. idque sane fecissemus multo libentius, si minus erga nos officii præseferret.

Ponticelli.

Honos alit Artes, Omneſque incenduntur ad ſtudia gloria.

Cic. de Off.

45

MAgnam, inopinatamque, ſed graviſſimam cauſam Sapientiſſimo Conſeſſui veſtro, Patres Conſcripti, præſentibus ornatiſſimis Auditoribus, hodierna fauſtiſſima die conſiſtimus horum temporum, quibus vivimus, errore quodam compulſi. Permultos enim eſſe nimis crebro intelligimus, qui ea animum imbuere ſententia, Medicos in perpetua rerum ſuarum caligine cæcutire, neque noſtram magnopere fructuoſam eſſe Reipublicę induſtriam, parvis acquiri laboribus Medicinam, quæ tandem inutilis futura ſit, & ſi Diis placet, ægrotantibus etiam perniciosa. Turpiſſimam hanc infamiam, & dedecus, quo honeſtiſſimos, doctiſſimoſque Medicinæ Profeſſores leviſſimi Homines, & ineruditi afficere non verentur, hodierna die rationum momento in conſpectu Sapientiſſimorum Patrum exagitare, illorumque ipſorum vitio, & ignorantiæ vertere aſſumpſimus, ut ſalubrem, quam profitemur Artem, a Deo conditam, incredibili ſummorum Virorum labore excultam, præ reliquis omnibus Reip neceſſariam, utiliſſimamq; ab iſtorum contemptu, & intolerabili inſo-

lentia vindicemus. Quod quidem eo nomine probandum vobis esset, quod si unquam alicubi graviter, profecto hac in Urbe gravissime Medicinæ Detractores peccent, ubi tanto cum ægrotantium emolumento, tantaque præscribendarum rerum prudentia Medicinam, Patres Amplissimi, facitis, ut solius vestræ contemplatione virtutis demonstrare proclive sit, Detractores illos quidem certe in cæca, turpissimaque Rerum omnium ignoratione versari. Quæ cum dico, non vereor, quemquam sibi io animum inducere posse, Orationem meam aliquo in illos odio, quorum potius misericordia commoveor, contendere: tantum enim id abest, quin potius, si forte aliquando, populares certe laudes majori mihi damno, ut nostis, quam dicteria fuisse dolendum esset; sed ut communi omnium nostrum causæ inserviam, Medicinæ dignitatem tuear, & vel ipsorummet Detractorum saluti consulam, [plurimum enim sua etiam interest Medicinæ fiduciam habere] rationes torquere, & jacere tela, iratum me simulans, perdendo errori non desinam. Quod enim doctissimo huic Cœtui perspectum est, & Auditoribus cæteris elucere præstat, & huic Candidato præcipue alta mente repositum necesse est, se omnium in Artium præstantissima, honestissima, & liberali Homine digna labores, & operam potuisse suam, quam si ut cepit, excolere perseveraverit; & nomini suo famam comparare valeat, Concivibus, vel & humano generi utilitatem conferre, atq; crassam irrisorum Minervam è sublimi loco despicere.

Mo-

Digitized by Google

Medicinam a Summo Deo ortam fuiſſe, & ipſis Sacris Scripturis docemur, & Natura ipſa, ac ratione erudimur. Quod ſacris in libris legamus, creaſſe Deum Medicinam, a qua Viri prudentes abhorrere non debeant, quod appellari Medicos ægrotantibus ſuadeat, quod ex Euangelio ipſo intelligamus, male habentibus opus eſſe Medico, illud potius dubitari poſſe videretur, eos, qui nihil Medicinam æſtimant, qui vel perniciosam arbitrantur, Spiritus, ut ajunt, fortes præferre, qui cum nihil omnino creare poſſint, in nihil omnia convertere vellent. Ego vero illuc uſque eos perſequi nolim, tum quod aliunde argumenta abunde nimis ſufficiant, tum quia vellicandæ tantum levitati, ignorantiæ, imprudentiæ, atq; ulceroſæ huic animorum diatheſi Philoſophiæ luminibus aperiendæ, & rationum igne curandæ hæc noſtra inſtituatur Oratio; neque enim decet apud profanos, qui Divinam Artem contemnunt, ſacra perelitari argumenta. Puſillam adhuc Medicinam, ac veluti infantulam noviſtis, Sapientiſſimi Patres, quanto in honore temporibus antiquiſſimis haberent Ægyptii, atq; Græci omnium populorum celeberrimi, ut Hermetem Triſmegiſtum, Apollinem, & Æſculapium in Deorum numerum retulerint, delubra erexerint, eorumq; cultum ſibi Religioni duxerint: In quo quidem etſi longe plurimum erraverint, quod Hominibus, quæ ſoli competant Deo, tribuerent; in hoc tamen ſapientiores Detractoribus noſtris haberi debeant, quod illam intellectu ſuo Artis Medicæ Divinitatem animadverterint, quam obſtipæ horum men-

mentes, & opaca capita nedum percipere, ſed neque attingere valeant. Quid vèro putatis factum iri antiquiſſimis illis temporibus, ſi Euſtachii, Veſalii, Harvæi, Malpighii, Morgagni, Ruyſchii anatomica inveota; ſi Borelli, Bellini, Sydhenami, Torti, Boerhaavii, Hoffmanni, Beccarii, aliorumque Doctrinas, & divina præcepta, ſi Academiarum Florentinæ, Pariſieoſis, Booonienſis, cæterarumq, experimenta, obſervationes, feliciſſimoſque labores noviſſeot, ſi Chymicorum ſudoribus, Botanicorum itineribus locupletatam Artem noſtram vidiſſent, cui denique opes etiam ſuas Phyſica experimentalis, Hydroſtatica, Statica adjiciuot, & e ſun penu ditiſſimo ſupetias ferunt, augent, & ornant? Numquid admirabiles Viri primitias iotellectus, acerrimaq; iogenia ſortiti, eum excolendæ Medicinæ præſtaotiſſimos navarint labores ſuos eo recidere debuerunt, ut a ſtultiſſimis Deriſoribus vacui, inanes, inutiles, vel etiam pernicioſi ægrotaotibus haberentur? Ob Capita tribus antyciris inſanabilia! Ergo hæc ipſa ſummorum ingenia Medicorum, ergo hi, aliiq, innumeri præclariſſimi Viri, qui ſi Litteras humaniores coluerunt, humaniſſimi fuerunt, ſi Rhetoricam, elegantiſſimi, ſi Hiſtoriam, nitidiſſimi, ſi Poeſim, Ap linem æquarunt, ſi morum Philoſophiam, ſi Phyſicam uoiverſam, canones, legeſque exhauſerunt, quibus rectam philoſophandi viam monſtrarent, præcepta traderent; atq; uoiverſo Hominum generi ratione utentium facem præfereotes, inſaoientium Philoſophorum ſectis addictorum inanes labores omoium primi

ad

ad optimas fruges reducerent, & ad Naturæ tribunal; hi inquam Viri doctiſſimi tantum nihil in Medicina profecerunt, in quam viribus animi, & nervis contendere præcipuis? Neque ſudores ſuos inutiles, & perniciosos eſſe, quod Deriſores exploratum habent, intelligere illi ipſi non potuerunt? Oh acutiſſimos, ſagaciſſimoſq; Zoilos! Vos vero Medicinæ Antiſtites leviſſimos, qui in Univerſitatibus, in Academiis, inter Noſocomia, & cadavetum ſectiones, inter tot vitæ pericula, & incommoda, mente, & corpore vigilaſtis, evolvendiſq; libris emarcuiſtis, quo tandem oleum, & operam mitere veſtram petderetis? Nonne præſtitiſſet inter menſarum pocula Sapientiam ebibere, inter Coffe, & Cocolatæ officinas Doctrinarum ſublimitatem haurire, utileſq; inter convetſationum facetias ſenrentiarum gravitatem, Mimorum, Hiſtrionumque Aphoriſmos adnotate, recolere, atque in ephemeridem conjicete, itaque hoc pacto Cerebtum, Sanitatemq; tueri?

Video, A. P., ora veſtra a riſu temperare vix poſſe. Verum enim vero quid hodierna lætiſſima die, convenientius eſſe poterat, cum hujuſce Candidati felices, honeſtiſſimique labores omnium veſtrum ſuffragiis coronandi eſſent, quam Sciolorum ſpolia, & Zoilos adducere, vinctoiq; Detractores immottalem hanc Lauream ſubiequi, ac in conſpectu veſtro ornatiſſimi Candidati veluti bilarate Triumphum? Vobis ioterim omnibus perſuaſum velim, cum illud perſequar; ut magis magiſq; Conviciatores noſtri intelligant, atq; etiam ſentiant, quid inter ſe cum de-

rident, & se se cum deridentur interfit, fore futurum, ut a facienda injuria Artis dignitati, ideſt ab illis erudiendis ſibi conſtantiſſime caveat Oratio mea. Quam ob rem & data opera impoſterum perpetuo abſtinebo a præclariſſimis, & excelſis fontibus illis, quibus Medicinæ utilitatem, neceſſitatem, Divinitatemq; ab omni macula, & ſordibus tergere, nitidamq; ſervare multo uberiore poſſem, validioreque, ſi vellem, rationum momento. Quapropter illa tantum vobis nota præteriens, quæ magis plana, & perſpecta omnium oculis luceant, & Adverſatiorum imbecillitati magis contentanea ſint, quod pro mentis hebetudine non meminerint, iſtorum memoriæ refricabo. Repetamus igitur, quæ Zoilorum acutiores in Artem noſtram tela vibrent, quibus repelleodis tenuiſſimas quidem ingenii vires, ſuperfuturas tamen, experiamur, comminuſq; pugnemus. Blaterare ergo non deſinunt, perpetuis cæcutire nos tenebris, oculos velamine tectos habere; commiſeranturque nullas in humano corpore aperiri poſſe fenestras, per quas morborum ſedes, & naturas introſpiciamus: idcirco occidi late genus undique Hominum, cæmeteria ſaginari, atq; eo toto fidentius, quanto impune magis id fieri permittitur: remediorum vires inertes, rerum, morborumq; cauſas in Naturę penetralibus abſconditas, plurimos abſq; Medico, & medicamento ſanitati reſtitui, inutilem denique, incertam, perniciosam habendam eſſe Medicorum Artem, ſententiam ferunt. Quæ gravi adeo ſupercilio decernunt, ut neque Pythagoras, aut Plato majori

cum

eum dignitate locuti fuiſſe ſibi videantur. Hoc profecto loquendi genere cum ſententiarum magnitudinem oſtentare ſe putent, ſtultitiæ ſuæ granditatem, ignorantiamque demonſtrant, & explicant, ut mea patefaciet Oratio. Quæ ut liberaliter agat, præteribit neminem aliquando ægrotare, cui conſiliorum ſuorum garrulitate opem ferre ſibi non arrogent, & proeul dubio Medicos imperitiſſimis ſermonibus carpere, & quod incredibile videtur, Medicos etiam ipſos audeant medicamenta docere. Quæ vero major, P. C., in toto Terrarum Orbe inveniri ſtultitia poteſt, quam Medicinæ, cui nullam fidem habent, quam noxiam, pernicioſamq; reputant, cujus neq; limina ſalutarunt, immiſceri velle, & quam turpiſſime ſibi contradicere? Injuſtitiæ inſimulantur ergo Magiſtratus, qui impune Medicos occidere ſinunt, juſti autem, ſi veſtram, Zoili, non cohibeant temeritatem? Prætereo diligemer, cum ægrotatis, ad curandum aſſumi Medicos, quos aut plane vacuos, aut male certe nummatos tandem dimittitis: hinc Artis libros prohibetis, ſtudia contrahitis, diviteſq; ingeniorum venas exſiccatis. Plura alia prætereo, ne ineptiſſimis rationibus veſtris, quibus ſtatim metendis ſum, longius recedere videamur.

Primum igitur, P. C., obductis velamento oculis, in tenebris nos cæcutire obtrectant. Non meminerunt Homines, anatomico culiro Naturæ opera noſtris oculis ſubjici, diſſecari cadavera paſſim, eorumq; partes quaſcumque, fabricam, ſitus, nexus, conſenſuſque omnes ad examen ipſo ſub ſolis lumine revo-

cari, ita ut etiam obductis velamento oculis, quid unaquaque in corporis regione subsit, quod viscus, quæ machinarum ratio mentis oculo introspiciantur; tantum ergo abest, cæcutire Medicos, quin vel luminibus cassis ultro pateant humani corporis Organa. Quod si ad morborum sedes dignoscendas fenestras, quæ aperiri possint, concupiscunt, plurimas, innumerabilesq; ubiq; Terrarum in Hominum corporibus analogis morbis defunctorum aperuit, aperit, aperietq; Orbis medicus, ut nisi Zoilorum gratia se suarum pœnitere velit Natura legum, suamq; oblivisci simpliciratem, quid in unoquoq; observatum fuerit ad alios etiam traduci summa poterit humani generis utilitate; Quare & præcaveri a Medicis funesti morborum eventus possint, & per prognoses de Artis Divinitate fidem facere, aut denique quid in mari medico morborum iogenia moliantur & intelligere, & scire: non enim vim Poli, aut æolipylas, sed ventorum plagam, & acus magneticæ motum noviisse interest, ut portum teneamus. Quot vero sodes, & quanta in hanc rem adducere possem exempla non ex alienis Universitatibus, non ex dissitis Regionibus capta, sed in hac ipsa felicissima, in qua vivimus, Urbe conquisita, præclarasq; morborum curationes a Sapientissimis Patribus, quorum ornor præsentia, factas, & pene dixerim patrata lege Artis miracula, ut plurima Sanctorum Aris, qui Arti nostrę non invident, nec suffurantur honores, sed superno lumine dirigunt, appensa vota testantur. Longe ergo lateque paret, medicæ Artis præstantia, quæ in hac tanta morborum

rum frequentia, queis perpetuo ſtipatum undiq; genus Hominum nulla non ætate, nullo non tempore miſere conflictatur, divino ſane munere demulcendis doloribus, rollendis anxietatibus, anguſtiis, amaritudinibus, magno ægrotantium ſolatio, commodo, utilitate, divino inquam munere de Cœlo lapſa eſt, & humanæ vitæ retarciendæ conceſſa. Quamquam vero inevitabili lege Natura ſancivetit omnino omnibus aliquando randem mortem oppetendam eſſe; ecquis lætari non poterit, & animi grati offitiis illam proſequi Attem tot ſæculotum labotibus, obſervationibuſq; excultam, quæ tum de ſervanda, tum de recuperanda valetudine præcepta docens, id agat io humano corpote, quod ad ætatem illam, quę motus animi Sapientia regere, & rationis imperio ſubjicere valet, petvenire nos faciat? Adeone plumbet Obtrectatotes noſtti dicendi ſunt, qui eum ea, quæ a Medicis præſcribuntur, mortem inferre calumnientur, negare inde velint actionem Artis, ac vim in alterando humano corpote, atq; e ſtatu ſuo in alium commutando? Revera quæ major eſſe poreſt, P. C., ſtupiditas, quam cum inettta remedia dtxetint, ea & eodem tempore aſſetere tam activa, quæ Hominis fabtieam deſtruete, ſanguinem, & univerſam humorum maſſam perturbare, & conjicete poſſint in ſymptomata hortenda?

Quę ergo vobis, optimi Conviciatores, arrident magis, inertiane remedia, an efficacia? Eligite; uttobiq; enim ignotantiæ veſtiæ laqueis ttretiti eſtis; ſi enim inettia; quid Medicos inertibus remediis ocetdere tur-

piſſime convitiamini: Si activa horum ergo uſu humanum corpus de ſtatu ſuo dimovendum eſt: igitur ab Artis peritis cum dimoveatur, non ſolum utiliſſimam, ſed neceſſariam, ſed divinam fateri Medicinam volentes, nolenteſq; debetis.

Ex huc uſque dictis præcisos jam Obtrectatorum nervos, humiq; proſtratos Medicinæ hoſtes, A. P., cooſpicitis, qui cum nec aſſurgere, nec claudicare amplius poſſiot, ſinite pro humanitate veſtra, ut dum ſordeſcuot ignavo pulvere, illius etiam, quam reportavimus, inſignia victoriæ colligamus Itaque quod plurimi abſq; Medicis, medicamentiſq; ſanitati reſtituantur, examini ſubjiciamus. Profecto tantum abeſt, ut id medicæ Artis dignitari noceat, quin proſit; non ſolum autem proſit, ſed honorem, veritatem, & deeus impertiatur. Quæ ſi luce ipſa clariora demonſtravero, non ſolum victos, ſed etiam ſe eſſe devinctos Arti Medicæ Obtrectatores tandem fateaotur.

Prima Medicinæ elementa a magiſtra Natura edoctos fuiſſe antiquiſſimos Artis Profeſſores nemo veſtrum ignotat. Cum enim morbos obſervate cepiſſent, triſteſque, aut felices eventus, diverſis quoque eventuum rationibus animum applicuere ſuum, & qua ratione evaderent, quæ ſtadia percurrerent, quæque apud ægros ſingula acciderent diligenter aoimadvertentes, Poſterorum memoriæ mandarunt. Vomitibus ergo, ſudoribus, ſanguinis eruptionibus, aliiſq; conſimilibus corporis evacuationibus amiſſam reſtitui ſanitatem his, vel illis in morbis probe intellexeruot. Quoniam vero non in omoibus Naturam utiles

les moliri evacuationes illas cum ægrorum interitu perſpexiſſent, ſubiit illorum animum excogitare ea per Artem experiri, quæ Naturæ defectui ſupplemento eſſent. Nitidiſſimas ergo, ſimpliciſſimaſque ægrotationum Hiſtorias colligentes, quid profuiſſet, quid ſecus, candide docuerunt, quorum exemplo ſuos quoq; labores Arti Medicæ locupletandæ, & ſtudia ubique Terrarum poſteri Medicorum filii adjicientes, perpetuo præ oculis habuerunt, ut Naturæ molimina, quæ in bonum ægrotantium cederent, adnotarent, ſeſeque Naturæ miniſtrare, Naturæ auxiliari, Naturam ſequi, imitari profiterentur; cui cum continuo adhærereot, neq; colloqui poſſent, quod Natura, veluti ut muti faciunt, per nutus ſe oſtenderet, hinc Artem mutam Medicinam, ideſt Naturæ Artem æquiſſimo jure facere dicebantur. Quid ergo audaciter, inſcitiſſimeq; obganniunt Artis noſtrę Oſores, quam nos ipſa dictavit Natura, præcepta tradidit, leges tulit; aut hæc enim ſecus operata eſt ſanitatem in tali febre per ſanguinis eruptionem, aut ſi recte, recte etiam operatus eſt Medicus, qui ſanguinis miſſionem imperavit, antiquos, & omni ævo celeberrimos Naturæ mores ſecutus. Aut male Natura ſe geſſit ſudores eliciendo, vel dejectiones, quibus hic, vel ille morbus ſuis ſublatus eſt viribus, aut ſi optime, optime etiam Medicus ſimilibus in caſibus impotenti Naturæ opem tulit purgante remedio: Si ergo Natura Medicorum magiſtra eſt, Medicis prælucere, diſcipulosq; anteire ſuos neceſſum erat: ſi contra Medicus anteiviſſet Naturam, Ars medica humanæ

næ ignobilitati, noo Naturæ Divinitati referenda eſſet. Videte, P C., quam perverſa ſit Detractotum philoſophandi methodus! Sed plura perſequi deſinam; meminit enim Otatio mea obſtrictæ fidei, & a ſibi facienda injuria, ab ineptiſſimorum eruditione cavendo, abſtinebit. Arti vero quamplurima ætatibus omnibus ampliſſimo in Naturæ regno conquiſita remedia ſuppetere, quis præter Calumniatores infitias ibit? aut quid magis, S. P., ridiculum eſſe poteſt Deriſoribus ipſis, quorum cum coqui dapes, componete, menſamque ſciant inſtruere ad replendum, Pharmacopolæ noſtri placentulam neſciant parare ad evacuandum? Naturam autem quam ſæpiſſime Artis auxiliorum egere aut certum eſt, aut ſi falſum ſit, illud etiam concedendum erit Hominum temperamenta hoc ſæculo adeo robuſta eſſe, ut præteritorum temporum ſalubritatem longe exſupetantia, & morbos præcavere, aut cum inciderint, curare ſibi ſola ſufficiant. Quæ profecto, & Naturæ paſſim morborum vorticibus actæ, perturbatæque, & Medicorum experientiæ, & bujuſce temporis mollitiei, & vivendi genori repugnat quam quod maxime. Illud præterea vobis, C. P, apprime notum, mihi vero in ſingulos dies obſervatum, ruricolas, quorum corpora otio noo hebetantur, non crapulis enervantur, ſed labore firmantur, ruris amœnitatibus eriguntur, ſimpliciſſimoq, vivendi genere, fractos peor morbis, quorum cura ſoli Naturæ commiſſa fuerat, frequentiſſimos ad Noſocomium confluere, quorum principiis ſi Ars medica obſtitiſſet, facillimo, paucoq; remedio um apparatu ſanitati reſtituiſſet,

Quæ

Quæ cum ita ſint, neque unus, qui negare poſſit, ſit nemo, quid arrogantius, quam eum omnes morbi ſanati per Artem non poſſint, ipſius Artis vitio vertere, & inutilitatis, & perniciei probroſe inſimulare? Quid vero ſi ex hoc ipſo Artem ipſam ſuſpiciendam eſſe doceam, & tantum viruperandam Convicìatorum inſolentiam? Verum enim vero ſi ſapiens Natura talem humani corporis fabricæ ſoliditatem, & robur impertita fuiſſet, qua vitam vivere immortalem poſſemus, cum in tanto tuoe virium vitæ momento, aut nullum morbum, aut ſi aliquem, facili curatione tollendum eſſe conſequi debeat, inutilem Artem medicam, parvique faciendam fore intelligeretur; Veruntamen cum ea data fuerit Natura Homini, tenuiſſimis adeo fibris contexta, ut omnibus ærumnis pateat, omnemque in morborum contumeliam projiciatur, imo vel ipſa ſui Natura frangatur; idcirco maxime elucet Artis noſtræ ſublimitas, dignitas, & origo divina, quæ in hac tanta Hominis imbecillitate, fragilitateque multiplici innumerabilium morborum Triumphum agere valeat. Et quandocumque, ut cæteris omnibus Artibus, & Scientiis commune eſt, optata ſpes labores noſtros fruſtretur, divinos non eſſe Artis Profeſſores non negavero, divinam tamen eſſe Artem rationibus tuebor perpetuis.

Illud etiam accederet, non exerceri hanc modo, quemadmodum antiquitus Ethnici facere conſueverunt, qui ab incutabilibus morbis, ſuo, & Artis honori inſervientes, ſe, & ſuæ ahſtinebant Artis medica-

dicamenta; nos autem feliciſſimis temporibus nati, morbos etiam, qui curari non poſſint, tolerabiliores per medicamenta ægrotantibus facimus, illorum animum præſentia recreamus, probabili ſermone lenimus, deque maximarum gerendarum rerum gravitate monemus, ut quacumque libet oculos convertamus, circumundique Artis medicæ Divinitas, neceſſitas, utilitaſque reſplendeat.

Quæ cum adeo clara, obvia, facilliſimaque ſint, ut omnibus pateant, ſi inſolentiæ, temeritatiſque Sciolorum plectendæ cauſam habebat Oratio mea, pauca quædam adhuc reſtant, quæ præſtantiſſimorum Virorum, Scientia, ac Doctrina clariſſimorum, quibus Arti quoque noſtræ detrahere vilum eſt judicio ſubiiciamus. Ea vero in Medicorum animis ſpontaneo veluti quodam germine aſſurgit proprietas, ut cum docentis perpetuo Naturæ ſimplicitati, & moribus ſtudeamus, candore quodam, quadam ſimplicitate, expeditoque veriraris amore clam imbuamur, ut propterea mirandum non ſit, ſi Medici paulo liberius, quod ſentiant, aliquando dicerent. Neque enim præter Rerum Naturam eſt, Viros doctiſſimos, præclariſſimoſque corpore non raro ægrotantes, aliquando etiam animi morbo aliquo vel ex Doctrinarum redundantia corripi poſſe. Docere quidem certe, at minime profecto dubitare poſſunt, Medicinam omnium ſcientiarum Hominum nullo non tempore apud eruditas, acerrimaſque, & apud aſperrimas, barbaraſque nationes, quod uni tantum religioni contigit, plenis conſentientium omnium populorum

ulois

ulnis complexam, Medicos honoribus ornatos, divitiisque auctos, supremis ordinibus adscriptos fuisse. Quæ quamquam & Philosophis, & aliis aliarum Artium liberalium, & Scientiarum Professoribus accidisse crediderim; illud tamen concedendum nobis est, universo totius Terrarum Orbis consensu, perinde ac medicam Artem, gaudere sane non potuisse: illa enim non creata, sed tradita fuerunt occupationibus Hominum. Quamobrem si præstantissimis Artibus, quæ certe quidem humanitatem honorant, & sublimiori sede veluti collocant, impolitarum gentium vitio hæc acciderunt, non Medicinæ; illud ergo consequi dicendum erit, Medicinam necessitate, utilitate, & divina quadam nobilitate, & vi, quæ & impolitos perstringat, a Summo Rerum Conditore instructam fuisse. Neque ego vero in Sapientissimorum Patrum conspectu eorum, quos plurimi facio, & quibus plurima debere me fateor, communem ut causam tuear, Scientias, Artesque criminari velim, aut possim; dolebo tantum illorum auctoritate multitudinem pertrahi imperitam, & male injuria sentire de Medicina doceri: præsertim cum auctoritate sua discendæ Medicinæ commoda præbere, Medicorum laboribus gratiam comparare præmia largiri, & Reipublicæ bono consulere possent, id efficientes, ut aptissimos suæ, & aliorum valetudini instruerent Medicos, quod profecto illorum dignitati Doctrinæ magis coolentaneum foret. Non enim vero, pace eorum dixerim, Medicinæ cum detrahunt, specimina ingenii, ut in cæteris scientiis præ-

præſefetunt, non Litteratotum perſonam agunt. Neque enim principiotum, quibus Ars noſtra fulcitur, falſitatem demonſtrant, non Hippoctatis ſcipta, tot ſæculorum criteriis excuſſa, aliosque Artis cardines convellunt, nec medendi rationes, neque Anatomiæ ſtudium, aut Botanices cultum, aut Chymicæ labores, vel Philoſophiæ, & Mechanices lumina, neque utiliſſimam Noſocomiorum frequentiam, nec ad Univerſitatum otacula peregrinationes, aſſiduaſq; libtorum lectiones ulla unquam ratione reprehendere poſſunt: Artis vero exercitium, Medicorum fidem, ſollicitudinem, benevolentiam, blanditias, commiſeretionem, ſolamen ægrotantium, & pene omnia dixerim humanitatis officia, quis eorum laudare noo poterit, aut non ſolum diligere, ſed etiam amare recuſet? Quod ſi Artis incertitudinem aliquando obliqois intueantur luminibus, animadvertent, queſo, incertitudinem illam non ignorantia, ſed prudentia partam, ſed ex complicatis rerum cauſis ſeverioni examini ſubjiciendis proficiſcentem, neque præcipiti judicio, illorum, quorum ſanitati ſtudemos, vitam nobis caram, & cum Artis noſtræ ornamento, & bonore quodam conjunctam exponendam eſſe. Quid autem ſi vel ipſa in incertitudi- æquiſſimas leges, certoſque canones provident Ars dica, ut veluti univerſale quoddam agendatum Rerum ſyſtema peperetit, quod cæteris Scientiis, & Artibus, Æconomiæ, Politicæ, Oratoribus profanis, & ſacris, Judicibus, & Magiſtratibus, Mundi Rectotibus, & ipſis vel exercituum Ducibus, exem-

pla,

pla, archetypaſque ideas, in quas inſpiciant ſubminiſtraverit. Propterea ſi quando cum incertitudine conſilium capiendum ſit, experiendumque viribus omnibus læthalia morborum tela repellere, tum cum fauſta eveniant, ſummis extollenda ſunt laudibus, cum ſecus accidant, nullo unquam jure quiſquam Medicinæ Divinitati, utilitati, neceſſitatique poterit conviciari. Quare ſummos illos Viros oro, atque obſecro, ut innatam animorum carpendi proclivitatem, ſeu doctam quamdam bilem ſub imperio Rationis, quod omnium maxime facere poſſunt, coerceant, ſibique caveant ab Hiſtrionum inſidiis, quas & doctiſſimis titillatione animi, ſagaciſſimæ ſtruere ſciunt; Hiſtriones enim perpetuum rectæ Rationi bellum indicunt, Virtutibuſque omnibus claſſicum canunt, quorum eo capitalior eſt culpa, ut tum cum maxime fallunt, id agunt, ut ſolertiæ, induſtriæ, & in rebus gerendis perſpicacitatis Cathedram erexiſſe videantur; quo quid hercle, monſtruoſius excogitari poteſt, quam nugigerulos ſemper Homines, impudentiſſimoſque nonnumquam, humanos mores formandi munus uſurpare graviſſimum? Hinc numquam ego cogitando aſſequi potui, quæ tanta aliquorum eſſe poſſit laudum effuſio in hanc Artem duplici mendacio, tanquam duobus cruribus perpetuo fere incedentem: nam cum ſe vitiis lutatam, conſpurcatamque mentiatur, vere ſordida eſt; cum vero vitia corrigere, ſordeſque abluiſſe ſe dicat, vetſutiis, dolis, improbitatibuſque omnibus animorum candorem infecit, atque morum

ho-

honeſtati vulnera inflixit. Præſtaret ergo (quod raro accidit) æquiſſimas ſemper honoris, modeſtiæ, honeſtatis, jucundiſſimaſque veſtes indutam, ornatamque popularibus oculis ſe ſpectandam committere, elucere, allicere, & unius maxime virtutis numquam ludificatæ, unius honoris perpetuum in modum triumphantis ſpecie delectare, & incendere. Itaque in hac ego ſententia perſto contra Hiſtrionum Artem, quouſque mihi probetur ab humano pectore ſpontaneas, peomptioreſque præ vitiis pullulare virtutes, quod vel ex hoc uno falſum eſt, quod late plaudatur, & placeat. Non putetis, P. C., mihi modo clam eſſe rem cum Molierio: illius enim tecordatio non odium, ſed miſericordiam commovet, & veſtro omniumque judicio relioquam, an Molierius ipſe a medica Facultate miſere derelictus docuerit magis vivens contemnere, an moriens venerari Medicinam. Hiſtrionum Artem odio habeo minimo in Theatris, maximo certe, cum in Hominum ſocietatem, incredibili, cum in Artis Divinæ Profeſſores gliſcat, & veneno ſuo corrumpat. Jocis ergo ſuis titillent quam velint, quæque in cordibus ſtultorum verſantur, pompalibus in Theatris explicantes fine ſuo certiſſimo potiantur, ideſt multitudinem faciant ridere imperitam: hæc interim noſtrarum ratioonm pondere contundi ſe ſentiat, & aliquando ſi velit ſapere, doceatur.

Fortaſſe, S. P., Oratio hæc mea acriori ſtilo in imperitam Sciolorum turbam invecta eſſe videbitur; ac nos, qui velut carnifices, homicidæ, cæci injuria jam-

diu

diu accuſamur, eos ignorantiæ, ſtupiditatis, ſtultitiæ arguere, & convincere aliquando jure vetabimur? Non medius fidius: mirabor potius, P. C., pace veſtra dixerim, patientiam, diuturnumq; ſilentium veſtrum hac ſuper cauſa graviſſima: quæ longe profecto magis Eloquentia, Doctrina, Sapientiaq; veſtra digna erat; pro ingenii ego tenuitate mei, & viribus tractavi veritatis arma, cujus majorem hercle rationem habebo ſemper, quam generis illius prudentum, melius dixerim Jatralyptarum, qui cum pervicacibus mentium morbis omnibus unguentorum ſuavitate medeantur, longam, inextremque curationem inſtituunt, ſibique magis, quam ægrotantibus conſulere videntur.

Quod vero attinet ad Litteratorum, ſpectatiſſimorumque Virorum animos Arti medicæ infeſtos, pro mea erga illos obſervantia obſecrare neceſſum erat, ut æquiori mente eſſent erga Medicorum labores permultos, periocommodos, perutileſque, & optima voluntate ſuſceptos, non quia quantacumq; eorum Doctrinæ fama Medicæ facultati ſit, quod ſibi timeat, divinis fata ſeminibus, perpetuò ſplendens, noviſque ſemper in dies inventis aucta, ornata, enutrita, ingentis præclariſſimis eorum ſimillimis omni ævo exculta, æquata, directa, ætate ditior, ſenectute viridior, quæ vel hoc tantùm nomine accepta, & cara eſſe deberet, quod univerſa Naturæ regna peragrans Dei magnalia explicat, mentē veritatibus ornat, rū & in humani generis omnia utilitatem, & commoda pertrahat. Quamplurimis aliis, quæ dicenda ſupereſſeot,

ſent, antequam finem facio, P. C., adhuc unum addam, ut mihi liberaliter agenti, cui res eſt anguſtior, generoſitate ſua Litterati Viri reſpondeant. Tantum igitur Medicinæ tribuatur, ut quomodo ſe habeant, cum ægrotent, dicat, aut victus rationem inſtituat: hoc vel ſolo nomine Artem noſtram probare, æſtimare coguntur. Etenim qui Rerum ſciendarum, quæ extra eos ſunt, cupidine tanta uruntur, & flagrant, ea quæ domi geruntur ſuæ, ſcire non avebunt? Eoque magis quod ſi male gerantur, tota Doctrinarum moles in cinerem vertitur? Medicina ergo, P. C., ſuos habeat nævos: Litterati Viri nævis multo majoribus parcunt in aliis utique Scientiis, & Artibus ad nos certe minus ſpectantibus; & pervagari longe, lateque amant, ubi ſi plurima, quæ non intelligunt, occurrant, plura, quæ cognoſcant, obviam fiant, tum cum plura ſciant, plurima alia ſe neſcire non neſciant, lucrari ſe & jure arbitrantur, quamquam ad humanæ ſocietatis commoda non multum adeo pertinerent, ut Ars medica pertinet, quæ bonorum omnium præſtantiſſimum, ideſt ſanitatem conſervandam, aut recuperandam docet. At rei ratio verbis eſt explicanda breviſſimis. Litterati aſſiduis mentis laboribus detinentur, parum, aut nihil corpore exercentur: ideo lege Artis nec firma valetudine fruuntur, nec medicamentis, ut vellent, tueri eos poſſumus: quare Arti medicæ ſubiraſcuntur, quod effectus tollere non valeamus, cum ipſi cauſam amovere recuſent, & perpetuis applicationibus Vitam terere malint. Iraſcantur ergo Medici-

næ, mihi gratulor, cum enim id faciunt, Medicinam plus posse arbitrantur, quam probaverit Oratio mea.

Ad te modo tandem sermonem meum converto, Ornatissime Adolescens, cujus præcipue gratia Artis medicæ præstantiam a Detractorum calumniis vindicavi, ne tibi susceptum iter ad gloriam, & ad Patriæ tuæ incolumitatem interciperent. Peregrinentur aures tuæ, si forte etiam in Medicos Vituperatorum duces incideris, qui eum aliorum labores æquare nolint, nec assequi valeant, dicteriis in Artem medicam callidissimis æquilibrium quoddam construere studeant; Si ratione uterentur, teste Hippocrate, invidiose non calumniarentur, atqui ut sibi parcant, sese studiorum laboribus solvant, conscientiæ aculeos obtundant, Medicinæ latrant: quæ cum agunt, turpissima profecto divinæ Arti flagitia inferunt, seleque summo dedecore inhonestant. Quid enim scelestius binis hisce scelcribus excogitari potest, quorum aliud ex alio consequitur, quam super Arte medica ludere, super corio ludere humano? Per summam inverecundiã spurii hi Hippocratis filii, sua vitia Arti, suamque ignorantiam affingunt, neque animadvertunt tum suam maxime explicari arrogantiam, cum apud ægros numquam se errare, stupendumque in modum morbos depellere secura fronte mentiantur, quod præter quam divina Hippocratis Arte nusquam fieri potest. Puduisset me, te minus quam ad honestissimam, tuorumq; morum candore dignissimam Artem informasse, utilissimam,

cœle-

cœleſtibus feminibus ſatam. Verte circum oculos, & Conſcriptorum Patrum Sapientiam, Honorem intuere, qui majorem certe, quam quis dicendo aſſequi poſſit, de Medicinæ præſtantia, & nobilitate fidem faciunt. Cole ipſos, omnibuſque proſequere grati animi officiis: Sunt enim medicæ Artis docta quædam viventia volumina: Hæc (1) lege: iſta audi. Præcipuo autem cultu, & honore Illum, cujus ſub auſpiciis fauſtiſſima dies hæc ſacratur Apollini, Protomedicum, & Architatrum Regium dignare, quem non minus Regiorum ſplendore morum, quam Rerum medicarum Scientia Eminentem, quam morum integritate Elegantem non modo ſuſpiciendum, ſed plurimam habendam eſſe rationem tibi auctor ſum. Quæ uſque ego adhuc te docui, non multa fuerunt, ſed neque multa quæ docere poſſem habebam: nihil tamen reticui eorum, quæ ſciebam, ſed pro re nata candide aperui: Teſtis mihi mea conſcientia eſt. De tuis laudibus pene ſiluit Oratio mea: Atqui nota eſt ingenii tui vis, & Patribus Conſcriptis, & toti Univerſitati publice ſpecimina prætuliſti. Te ergo plenis omnium ſuffragiis, tota conſentiente Urbe, talem reputo, quem præſtantiſſimæ omnium Arti deſponſem, nobiliſſimæque; hanc ſi, ut cepiſti, diligere perſeveraveris, altiora ſubſcellia conſcenſurum fore non dubito. Hujuſce Gemmæ (2) ſplendorem nitidiſſimum ſerva: honorem tibi ab Arte, a Patribus Conſcriptis præſtitum,

(1) *Libri.*
(2) *Annuli.*

ſitum, æternum Arti, perpetuum Sapientiſſimis Patribus reddere diligenter curabis, teque & illis, & Arti medicæ, & mihi hoc anulo vinctum eſſe memineris; Academiæ Hoſpitalis ſtudiorum tuorum rationem frequens reddito: hæc medicam Facultatem aureo quodam Virtutum anulo conjungit, qui Deriſorum oculos luce ſua perſtringat. Hujuſce Lauri decus (3), quo tua cingo tempora, te a perverſis Doctrinarum ictibus incolumem tegat, atque vires animi adjiciat ad privatas perſetendas injurias, & ad publicos diſperdendos errores. Teſtor vos, Ampliſſimi Patres, hanc eſſe hujus Adoleſcentis indolem, illam eſſe morum ſuavitatem, præter vobis jam notam ingenii alacritatem, quæ maximam Orationi meæ fidem aliquando facere poſſit, quæque meum, (4) & veſtros etiam mereatur amplexus. Dixi.

(3) *Pilem.*
(4) *Amplexus.*

Die 3. Junii 1752.

IMPRIMATUR

F. M. Bertolini Pro-Vicar. Gener.

Die 3. Junii 1752.

IMPRIMATUR

Vicarius Generalis S. Officii Parmæ.

VIDIT

Bertoncelli P. Præses &c.

Digitized by Google